



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117921

§. 57. Ottonis II. obitus. Otto III. Imper.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

Sæculum X.
A. C. 983. lari suo, digniorem Cathedræ Episcopali imponi posse, & reluctantem 19. Febr. anno eodem nongentesimo octogesimo tertio eligunt. Tum Nuncios ad Imperatorem post reditum a bello contra Saracenos suscepto Veronæ morantem mittunt, qui Electionem hunc confirmari peterent. Aderat cum ipsis Adalbertus; libellum quoque Clericorum & populi cum Mandatis Ducis attulerant. Annuit postulatis Imperator, Adalberto anulum & Baculum pastorem tradidit, & a Willegiso Archiepiscopo Moguntino, tunc apud Imperatorem versante, cui Sedes Pragensis erat subjecta seu Suffraganea, consecrari iussit. Adalbertus in Bohemiam reversus, nudis pedibus Pragam intravit, & in Thronum Episcopalem omni populo maximæ lætitiæ signa edente euectus est.

§. LVII.

Ottonis II. Obitus. Otto III. Imperator.

Ditm. L.3. Crediderunt non nulli, in pœnam suppressi Episcopatus Merseburgensis in Imperatorem cœlitus immixtas fuisse calamitates, quibus hoc anno pressus est, referentes S. Laurentium Ecclesiæ Merseburgensis Patronum injuriam ultum fuisse,

isse, quod ipse Sanctus Laurentius alteri Sæculum X. A. C. 983.
 viro Sancto conspicuus factus significaf-
 set. Porro illud exploratum, Impera-
 torem cum Græcis & Saracenis eorum
 sociis in Calabria pugnam conseruisse,
 victumque in fuga salutem ægre inve-
 nisse.

Post illud prælium desideratus est vit. S. Udal. n. 78. n. 84. Sac. 5. Ben. p. 456. &c.
 Henricus, Episcopus Augustanus, filius
 Buchardi Comitis, cujus malis artibus
 S. Udalrico defuncto ad Dignitatem Epi-
 scopalem pervenerat. Sed nunquam
 quiete hanc Ecclesiam regere datum,
 Optimatibus vicinis Bona temporalia
 usurpantibus. Hinc ut Imperatoris præ-
 sidium sibi pararet, obsequiis Principem
 demereri studebat, eumque in bello co-
 mitabatur. Cum igitur in memorata
 etiam expeditione cum Ottone militaf-
 set, omnibus ab acie recedentibus a ne-
 mine visus est; nec postea unquam ex-
 plorari potuit, cæsus captusve a Sarace-
 nis fuisset. Profligato exercitu Impera-
 tor in Longobardiam regressus, convo-
 catis Veronæ Comitiis Ottonem III. fi-
 lium Imperatorem, tunc in Germania de-
 gentem, eligi curavit, quem eodem an-
 no in Natali Domini Willegisus Archi-
 episcopus Moguntinus & Joannes Raven-
 nas Aquisgrani coronarunt.

N n 4 Inter

Sæculum X.

A. C. 983.

Inter hæc Otto II. Imperator Romam repetiit, ubi cum in morbum incidisset, & diem supremam imminere intelligeret, quidquid signatæ pecuniæ habebat, in quatuor partes divisit, & unam pauperibus, alteram Ecclesiis, tertiam carissimæ sorori Mathildi, & quartam Familiaribus suis dedit. Tum coram Papa & Presbyteris latino Sermone confessus accepta ab iis absolutione animam exhalavit die Veneris septima Decembris, postquam ab obitu parentis sui annis decem & septem mensibus regnasset. Sepultus est in vestibulo Basilicæ S. Petri, atque ante ejus Sepulchrum, quod ex Porphyrite constructum, opere vermiculato representatur Christus stans & Ecclesiam intrantibus benedicens. Ceterum Ottonis II. gesta parentis sui meritis longe inferiora sunt.

§. LVIII.

Bernwardus Ottonis III. Præceptor.

vit. Sæc. 6.
Act. Ben. p.
202.

Ottonem III. cum coronaretur Rex Germaniæ, quatuor annorum puerum, haud diu post mater Theophania Imperatrix Bernwardo Presbytero primis scientiarum elementis imbuendum commisit. Erat Bernwardus ex primis stirpibus in Saxonia ortus, nepos Folcmari, qui anno nongentesimo septuagesimo septimo